...nus

...r Apostol.

Wierzbovii Stanislai Χαριστήριον in felicis. adventum franc. Dietallevii.

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ IN FÆLICISSIMVM ET OPTATISSIMVM IN POLONIAM ADVENTVM CRACOVIAMQVE INGRESSVM.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI PATRIS AC DOMINI,

D. FRANCISCI DIOTALLEVII S. Angeli & Baſsitiarum Epiſcopi, A. S. Sede Apoſtolica.

AD

Sigiſmundum III. Poloniarū & Sueciæ Regem Potentiſsimum &c. Totnmq; Poloniæ Regnum.

NVNCII.

EIDEM.

A STANISLAO WIERZBOWIO A. S. HONORARII NOMINE OBLATVM.

CRACOVIÆ. Typis Lobianis A. D. 1614.

IN STEMMA

ILLVSTRISSIMI NVNCII APOSTOLICI INFANTEM ET AQVILAM.

INtegra Lechiadæ ſpectati ſigna decoris
Sumite, quæ ſacrâ præſul ab vrbe vehit.

Infanti ſimilis, paruum iubet eſſe, Puellus
Æthεream cupiat qui penetrare domum.

At regina auium ſublimibus æthera pennis,
Quæ ſecat, ignitis vndiq; cincta globis.

Te qui diuinis tradis ſua pectora rebus
Omnia ſub pedibus vult habuiſſe tuis.

Sic tibi ne dubites cedent duriſſima quæq;
Inuia virtuti nulla via eſſe poteſt.

NOBILLISSIMA TOTIVSQ; POLONIÆ PRINCEPS CATHEDRA AVSPICATISSIMVM IN POLONIAM ADVENTVM CRACOVIAMQVE INGRESSVM.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO D. FRANCISCO DIOTALLEVIO S. ANGELI ET BASSITIARVM EPISCOPO &c. &c. GRATVLATVR.

METROPOLIS Magni ſolio decorata Monarchæ
Sarmatici Princeps & caput Imperij.
Mirificum recipit læto ſub pectore lumen
Hospitis aduentu nobilitata noui
Ad te Romanâ properat qui miſſus ab vrbe
Rex SIGISMVNDE, tuæ gloria SARMATIAE
Illi conſuetos dum clara CATHEDRA triumphos
Innouat, ac animi dat monumenta pij.
Quis vetat inſignem tenui proferre Camænâ
Lætitiæ vocem clara CATHEDRA tuam?

Quam toties alti misſam ſuper æthera cæli
    Audijt æterni cara Propago Dei.

Audijt atq; tuis felici flamine votis
    Annuit, ac illam reddidit vſq; diem

Quæ tibi flagranti voces in corde loquentes
    Rumpit, & hunc ſtimulat tollere in aſtra ſonum,

Ingredere ô noſtram Clariſsime Præſul in vrbem:
    Ingredere ô noſtræ luxq; decuſq; plagæ.

Id cupit ordo meus Patrum Clariſsimus, atq;
    Omnis in occurſum turba profuſa tuum.

Expectatus ades votis crebròq; petitus
    Quæ ſunt lætitiæ ſymbola certa meæ.

Ipſe Stanislavs buſto tumulatus in imo
    Occubuit furijs qui Boleslae tuis.

Attollendo caput venienti fauſta precatur
    Quàm cupit optatis vela ſecunda tuis!

Ingredere ô multis Pilii digniſsimus annis,
    Ingredere ô ſedis ſplendor Apoſtolicæ.

Vrbibus in noſtris perquam clariſsima veræ
    Lux fidei nitidum promit vbiq; iubar.

Promit

Promit vbiq; iubar nitidum, gelidumq; Trionem
Illuſtrat radiis Chriſte benigne tuis.

Iam Lelus & Polelus noſtræ turpiſsima gentis
Numina Sarmaticis vana fugantur agris.

Quod celebrabit opus ſeptem qui flumina Nili
Potitat, & Tanaim perſide Turca tuum.

Qui colit & terras trans æquora tranſq; remotas,
Thethios ambages hoc celebrabit opus.

Hoc Lithaui, Ruſsi, ac animoſa Maſouia ſemper
Concelebrant regnis iuncta Polone tuis

Et mihi multifidus per centum pectora phæbus
Si ruat atq; ſuis Caſtalis vnda vadis

Non referam dignas tanto pro munere grates
Illuſtri ſolio Sancte Dynaſta tuo.

Quod noſtra ante tuum, ſemper proſtrata Tribunal
Agnoſcet munus Sarmatis ora pium.

Tu modo Legatus noſtram Clariſsimus vrbem
Qui petis hæc animi ſuſcipe dona pij

Suſcipe nec tenuis ſpernas munuſcula vatis:
In laudem creſcet ſic mea Muſa tuam.

CELEBERRIMA
ACADEMIA CRACOVIENSIS.
Eundem fælicissimum in Vrbem Primariam ingressum Illustrissimo Academiarum
PATRONO PRECATVR.

SI quis Hyperboreis tali floreret in oris
Ingenio, quali diuini Musa Maronis

Floruit; in Latio vel quali Tullius olim
Orator viguit toto celeberrimus orbe

Non ea sentires Hospes gratissime nostræ
Symbola lætitiæ; multò maiora tulisset

Pectus Academiæ, quod te veniente, Polonæ,
Exultat fundens lætas ad sidera voces

Sed neq; diuini nobis hic Musa Maronis
Bella canit: neq; Romanæ clarissima linguæ

Lumina Sarmaticas vnquam sunt visa per oras
Spero tamen placido quia me dignabere vultu

Dum

Dum tibi virtutiq; tuæ quòd ſaluus in oras
Lechiacas venias tantum gratabor honorem

Quod ſi erat Auguſti priſcis gratiſsima ſêclis
Pica ſalutatrix humanâ voce loquuta

Cæſar aue. Nec tu Pater Illuſtriſsime noſtrum
Contemnas animum tibi proſpera cuncta precantem

Salue Romulidûm decus, inclyta gloria noſtræ
Sarmatiæ, ſacri ſemper defenſor honoris.

Salue Præſul, Academicæ digniſsime, ſedis
Mœcænas; fidei Romanæ acerrime vindex.

Creſce Pater meritisq; bonis & honoribus altis
Tolle malum & nobis Aſtræam redde benignam

Sic tua Sarmaticas latè diffuſa per vrbes
Cognita florebit virtus: ſic Itala tellus
Dignum laude virum merito decorabit honore

RELIGIOSÆ OMNES FAMILIÆ

Idem Singulari ſuo in Chriſtianum Hierarcham amore & obſeruantia gratulantur.

NEC vos militiæ firmiſsima robora ſacræ
Diſparibus potui ſubticuiſſe modis

Attollant alii feſtas ad ſydera voces,
Hoſpitibus voueant & bona cuncta nouis

Exornent celebres cultu Nilotidis auctas
Aularum facies: lautaq; dona ferant.

Quin Tarteſsiacis gemmarum quicquid in vndis
Quas habet in ripis & Tagus ipſe ſuis

Ardentem veſtrum quidnam ſuperabit amorem
Virtuti Oblatum Præſul amande tuæ

Cedant aurifero ſi quæ naſcuntur in Hebro
Munera, non tantis æquiparanda bonis.

Cedant Regales Aulæ. rutilantibus aulas
Veſtitas gemmis en ſuperauit Amor.

Nam

Namq; tibi potior regnans in pectore virtus
Quam Cræso fuerant quondam Orientis opes.

Viue valeq; diu nobis Amplissime Præsul
Viue & Nestoreos egrediare dies.

AD Amplissimum Cracouiensem Senatum Totamque Cracouiam, de recipiendo in Vrbem Hospite Illustrissimo.

PROTREPTICON.

SVme serenatos ô vrbs clarissima vultus
Si quâ est, tristitiæ pone modumq; tuæ.

Lætificis resonate modis. per compita plausus
Per Plateasq; omnis nunc repetatur honos.

Illustris Legatus adest ; Legatus & ille.
Virtutis gratum quem omne serenat opus.

Hunc

Hunc Regina vehit THEOLOGIA nomine laudum
Viuaci : extollit ſplendor & ingenii

Ac Pietas vultu elucet certiſsimus index
Qui ſemper taciti pectoris eſſe ſolet

Index eſtq; ſui generis virtute quod ornat
Egregiaq; animi nobilitate ſui

Quid moror ? eſt vrbis decus admirabile veſtræ
Spes Cleri , columen , gloria , veſter honos

Felix ô nimium,terraq́; beatior omni
Quæ nobis tantum protulit ora virum! à Patria laus.

Ergo ſerenatos ô vrbs clariſsima vultus
Indue, ſic lætam concelebreſq; diem.

DEDICATORIVM.

Non hic Ausonios dulci de fonte lepores
Quæras in metris Præsul amande meis

Candida sed prudens gratantis Symbola mentis
His inclusa vide quantulacunq; modis

Magni magna ferant. mea stet sub littore tuta
Quæ modò per placidas Cymba cucurrit aquas

Auspiciis olim melioribus ibit in altum
Illam si studij prouehat aura tui.

Discedens anno 1622 è Polonia in Italiam, Romaniæ salutatus publicè à V. Capitulo, et à Collegij Lubranscianj Directore, in itinere obijt. vbe Nuntius Aplicus. Moratus hic in Pol. Varsavia. ab ao 1614.